Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26154
Copyright: Admont, Benediktinerstift

148

praedicationis gratia cooperantur. Quos videlicet huius terrae agricolas hoc est non affligere eorum laboribus non invidere, ne rector ecclesiae dum soli sibi ius praedicationis vindicat, etiam aliis recte praedicantibus invidia remordente contradicat.

Pia etenim pastoris mens quia non propriam gloriam sed auctoris quaerit, ab omnibus vult adiuvari quod agit. Fidelis namque praedicator optat si fieri valeat ut veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Unde cum Iosue duobus in castris remanentibus atque prophetantibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur: Quid emularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis dominus spiritum suum? Prophetare quippe omnes voluit, quia bonum quod habuit aliis non invidit. Quia igitur beatus Iob cuncta haec suspensa intulit, et si ea minime fecerit, sententia se maledictionis adstringit. SEQUITUR.

Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina. Ac si aperte dicat: Si iniustum quid erga subditos gessi, si exegi debita, et ipse quod debui non impendi, si exercitationem boni operis aliis invidi, pro bonis quae in aeternum reficiunt retribuantur mihi in ultione mala quae pungant. Pro frumento quippe tribulus et pro hordeo spina oritur, cum in retributione ultima de qua remuneratio laboris quaeritur, punctio doloris invenitur. Et notandum quod sic a frumento hordeum distat quamvis utrumque reficiat, sic a tribulo spina quamvis utrumque sit quod pungat, quia tribulus mollior et ad pungendum semper est durior spina. Ait igitur: Pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina. Ac si patenter dicat: Egisse quidem et magna me bona et minima scio; sed si non ita est, pro bonis magnis mala minima, et pro bonis minimis mihi respondeant mala maiora.